



PROGRAMM,

womit zu der

Montag, den 6. April 1857,

von 8½ Uhr Vormittags und 2½ Uhr Nachmittags

in der Petri-Schule

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

ergebenst einladet


Dr. F. STREHLKE,

Director.

~~~~~

### Inhalt:

1. Eine philologische Abhandlung des Dr. Pfeffer.
2. Schulnachrichten.



DANZIG, 1857

Druck von Edwin Groening.

P. ROGER A. M. M.

Montag, den 6. April 1857.

von 9 Uhr Vormittags bis 2 Uhr Nachmittags

# in der Petri-Schule

## öffentlichen Prüfung

der Kunstschüler

Dr. F. STRUBER.

Inhalt:

- 1. Eine biblische Geschichte in der Sprache
- 2. Schreibe

Preis

10 Schilling

carminibus diligentissime collectis et compositis praecipue me esse adiutus putavi, ut id quod velle con-  
spiceret. Ac ne quis forte iudicet me nimis leviter atque incaute negatum esse ad colligenda epitheta,  
quibus Homerus et alii poetas quos nominavi, exornasse hominum vitam, hominum, animalium, deorum  
nomina: scribis explicare libet, quid de epithetis generaliter, quid singulariter de ornantibus carminibus  
Atque ut primum de epithetis, de primis huiusmodi ornamentis, sententiam meam  
efficiam de epithetis, quibus poetas quos nominavi, exornasse hominum vitam, hominum, animalium, deorum  
nomina: scribis explicare libet, quid de epithetis generaliter, quid singulariter de ornantibus carminibus

### Epitheta,

quibus Homerus et epici Latini et germanici carminis

„der Nibelungen not“

inscripti auctor nomina exornarint, inter se comparantur.

### PARS PRIOR.

Si sententia illa a viris doctissimis et litterarum fere omnium gentium peritissimis saepissime prolata,  
qua operibus sapientissimorum virorum, qui inter singulas exstiterint gentes, nihil ad cognoscendam earum  
indolem aptius, nihil ad mores illustrandos magis idoneum esse docemur, gravibus documentis refelli non  
potest: certe non minus recte opinari mihi videor, potissimum ex epicorum carminibus proferri posse quan-  
dam quasi facem, cuius lumine adiuti non modo perspiciamus rationem, qua vetustissimis temporibus sin-  
gulae gentes vitam et publicam et domesticam instituerint, sed etiam qua omnes, quas universi continet  
mundi immensitas, res contemplati sint et usui sibi comparaverint. Quum enim vix dubitari possit, quin  
epicum poesis genus, apud Graecos quidem et Germanos primum fuerit, quo usi vates illi divino quodam  
spiritu inflati civibus suis exemplum ederent vitae honeste atque iuste instituendae, normam quandam  
traderent civitatis optime regendae, fortissime defendendae; quum non dubium sit, quin carmina illorum  
poetarum maxime canentes rhapsodi multitudinis circumfusae aures suavissime delectaverint, animos ad  
maiorum res clarissime gestas adverterint: veri simillimum est in iisdem carminibus, sicut in speculis cerni  
posse omnem universae gentis consuetudinem, qua res et usu et ratione tractarit, quas sibi circumdatas  
conspexerit. Quam sententiam quominus copiosius explicem atque confirmem prohibet et diversa incepti  
mei natura et necessitas, qua obstrictus maximae in commentatione mea brevitati studeam necesse est.  
Sufficit igitur ad opinionem, quam supra protuli, comprobendam admonuisse, ne excellentissimum quidem  
poetam, si sempiternam sibi gloriam comparare velit, in carminibus alia describere debere, nisi ea, quae  
temporis sui ratione atque ingenio diligentissime cognitis et exploratis, animo suo amplexus accuratissime  
elaboraverit, proptereaque eum poetam summae cuiusque aetatis admirationis participem esse futurum, qui  
perfectissimam consuetudinis atque morum sui temporis imaginem quasi expresserit.

Longissime vero abest, ut ex Homeri vel alius carminibus quam accuratissime et perfectissime  
explicaturus sim, quae fuerint opiniones de rerum natura, quae instituta et publica et domestica, qui cultus,  
qui mores, quibus usi sint aequales poetarum: attamen minime nego, me Homeri et latinorum epicorum,  
Lucretii, Vergilli, Statii carmina et illud germanicum, quod „der Nibelungen not“ inscribitur ipso eo  
consilio pervolvisse, ut omnes illas res, de quibus supra commemoravi, aliquanto clarius cognoscerem atque  
perspicerem. Haud scio an magno in errore versatus sim, quum epitheta quae vocantur ornantia ex illis

carminibus diligentissime collecta et composita praecipue me esse adiutura putavi, ut id, quod vellem consequeretur. Ac ne quis forte iudicet me nimis leviter atque inconsulte aggressum esse ad colligenda epitheta, quibus Homerus et alii poetae quos nominavi, exornarint nomina rerum, hominum, animalium, deorum nonnullis verbis explicare libet, quid de epithetis generatim, quid singillatim de ornantibus censeam.

Atque ut primum, disputatione de prima linguae humanae origine neglecta, sententiam meam afferam de epithetorum ortu, homines quum rebus omnibus, quarum supra et circum se infinitam multitudinem conspicerent, multas et diversissimas innatas esse qualitates intellexissent, sine dubio ipsis ex illis qualitatibus plerumque duxerunt nomina, quibus res appellarent. Neque minus perspicuum est, initio quidem eas imprimis qualitates esse et observatas et appellatas, quae maxime insignes et conspicuae latere omnino non possent; nimirum claritudinem diei, noctis caliginem, celeritatem avium, alias. Quum autem hoc modo omnes fere res, quarum utilitate, splendore, duritia, similibus qualitatibus sensus hominum afficerentur, nominibus essent instructae, fieri non potuit, quin paulatim ab aliis hominibus aliae rerum non modo diversi sed etiam eiusdem generis qualitates quam plurimae et dissimillimae cognoscerentur, quae novis vocibus discernerentur necesse esset. Illa vero sunt epitheta, quibus maxime variis poetarum et alii scriptores oratoresque utuntur, ut orationis suae aut perspicuitati adderent et claritudini aut elegantiae et suavitati.

Epithetorum autem duo esse genera statuo, quorum alterum necessaria continere dico, alterum ea, quibus nomen est attributum ornantibus. Illis utantur cuiusque generis scriptores necesse est, quum sunt denotandae tales rerum qualitates, quae si omissae essent ea quae enarrare voluerint auctores minime intelligi possent atque in obscuro remanerent. Ac leges si quaeras, quibus innumerabiles illorum epithetorum multitudo in certas quasdam classes et familias componantur, discernendum est, utrum illis epithetis qualitates significari voluerit auctor, quae rebus natura innatae aut fortuna quadam et casu attributae sint, an rationem nobis indicare studuerit, qua res, de quibus loquatur, ipse contemplatus sit et iudicaverit. Dico igitur, neminem esse dubitaturum, quin fieri possit, ut de hominis cuiusdam pulchritudine omnes, qui eum noverint, homines consentiant, dissentiant de moribus. Itaque sicut omnium consensu nomini illius hominis epitheton pulcher apponi licebit, alii eum appellare possunt, iustum, alii modestum, alii flagitiosum, alii alio modo. Sed haec mittamus, quum commentatio nostra ad epitheta ornantia tantum referenda sit.

Aegerrime fero, quod meam hac de re opinionem veterum grammaticorum auctoritate confirmare non possum, quum quid illi viri doctissimi de epithetis ornantibus docuerint, omnino me fugerit. Nam perpauca illa, quae in Servii scholiis ad Vergilii Aeneidem sparsim de epithetis annotata reperimus, vix quae commemorantur digna sunt. Annotavit enim ad Aen. I., 127 „epitheta enim sunt alia naturalia, alia ad tempus“ et ad Aen. I., 178 „epitheta numquam vacant, sed aut ad augmentum aut ad diminutionem aut ad discretionem ponuntur“, quorum locorum neutrum quidquam continere, ex quo certae de epithetis ornantibus leges ferri possint, nemo neget. Neque magis ad rem expediendam iuvant ea, quae disseruit idem Servius ad Aen. II., 171: „Tritonia antonomasivum est; i. e. vice nominis ponitur, quia proprium est Minervae: nam epitheta sunt, quae variis possunt vel personis vel rebus apponi;“ quamquam hic locus erat, quo sententiam suam de epithetis ornantibus afferret, quum Tritoniae vox sine dubio in epithetis ornantibus numeranda sit. Mea quidem de iisdem sententia haec est: Poetae, quum fabulas enarrent aut animi affectus describant saepissime nominibus aut rerum aut hominum adiectiva apponere solent, quae ut carminis locos, ubi legantur, facilius intelligamus, omnino nihil afferunt, quum intellectu minime perturbato vel obscurato, eadem possint omitti. Indicant autem illa adiectiva plerumque qualitates rerum nativas et immutabiles atque perpetuas, quae ex immutabili naturae lege in sempiternum rebus innatae videntur, sive ex communi cogitandi ratione hominum unius tantum aetatis aut omnium temporum attribui solent neque certis solum locis vel temporibus in rebus nascuntur, ita ut legentibus nobis, quum vim imaginandi animo nostro innatam quam maxime

laccessant atque commoveant, oblectationem illam potissimum praebeant, quam ex poetarum operibus praecipue quaerere solemus, sensus nostros et animum ab humanis et terrenis rebus detractos ad communem omnium rerum fontem caligine mirabili usque ad temporum fines obvolutum revocantem et reducentem. Huius igitur generis adiectiva ornantia epitheta esse dico. — Vergilius quum scriberet Aen. V., 171: „et metis tenet aequora tuta relictis“ certe adiectivo apposito illud tantum spatium aequoris indicari voluit, in quo Cloanthus nulla re impeditus ad terminum destinatum vehi posset et necesse fuit adiectivum tuta vel simile indicans apponeretur. Diversus est locus Aen. VI., 335 „simul a Troia ventosa per aequora vectos“, ubi ventosa adiectivum, quum generalem omnium marium naturam indicet, etiam omissum intellectum omnino non implicat proptereaque merito epitheton ornans est appellandum. Atque alterum exemplum afferamus ex versu Statii Theb. II., 121 „iam pallida sidera turbant lucis equi.“ Poetam in illo versu pallida scripsisse, ut siderum nomini adiungeret epitheton ornans, quis est, qui putet, quum facillime intelligi possit, illo versu certum diei vel noctis tempus describi, quo stellarum splendor evanescere coeperit sole appropinquante? Epitheta ornantia siderum nomini adscripta sunt his in locis: sidera ignea Stat. Theb. I., 499 celsa sidera ibid. VII., 3, vaga sidera X., 354, qui omnes loci nullam ostendunt necessitatem, quae poetam ut illa ipsa adiectiva usurparet coegerit. Eodem enim iure scribere poterat, dummodo heroici versus natura singulis in locis permisisset, aut stellae splendidae, quod legimus Enn. frg. Hecub. ed Hessel: p. 246, aurea sidera quod reperimus Aen. II., 488, aut palantia sidera passim, quae appellat Lucretius II., 1031, aut serena sidera sicuti scripsit idem Lucretius IV., 213. Sed aliquanto plus claritudinis sententiae nostrae allaturi videmur, si ostenderimus idem adiectivum aliis in locis esse epitheton ornans, aliis non esse. Cuius generis mihi videtur esse inter multa alia Homericum adiectivum *ἑτεροαλικής*. Legimus enim *μάχης ἑτεροαλικῆς νίκην* II. VII., 26, VIII., 171, XVI., 362, *μάχης* voce omissa II. XVII., 627 atque *ἑτεροαλικῆς δῆμον ἔχοντες* II. XV., 738. In illis locis, ubi ad *νίκη* appositum est *ἑτεροαλικής*, ornans esse epitheton pro verissimo habeo. etsi inter viros doctos de vera huius adiectivi significatione maxime disceptatur. Alii enim *ἑτεροαλικῆς νίκην* declarant victoriam alternam, nunc alteri exercitui, nunc alteri attributam, ut Vossius „umwechselnden Sieg;“ alii victoriam alteri parti maiorem vim praebentem, quarum significationum utramque epitheto ornanti aptissimam esse puto. Nam in significatione quam proxime protuli inesse notionem victoriae non dubiae (entschiedener Sieg:) quae quidem certam victoriae speciem indicans epitheti ornantis locum tenere non possit, aut ex vocabuli origine aut ex locis laudatis demonstrari posse nego. Praeterea quum sit sine dubio cuiuslibet victoriae, plus afferre potentiae alteri pugnantium, Homerum hanc aeternam victoriae qualitatem illo adiectivo voluisse indicari neque certam quandam victoriae rationem, intelligat necesse est, quisquis bene cognoverit Homeri illam consuetudinem, qua rerum nominibus ea praecipue epitheta annectit, quae rerum naturam indolemque quam maxime significant perspicue. *ἑτεροαλικῆς δῆμον* quomodo sit intelligendum interpretes afferunt alius aliam sententiam: sed quamcunque attribuimus illi adiectivo significationem, certe in epithetis ornantibus id numerare non possumus, quum eo omisso Ajax quid censuerit, maxime foret in dubio.

Iam satis multa disputasse mihi videor, ex quibus facillime intelligatur quae epitheta ornantia esse censeamus, quae non esse; sed restat, ut perpauca afferam, ex quibus clarescat, qui fieri possit, ut interdum adiectiva ornantium locum teneant, quae proprie videantur significare qualitates minime communes omnibus unius speciei rebus, adiectiva dico, quae spectant ad formam, magnitudinem, colorem, similia. Generaliter omnino non nego, huiusce generis adiectiva rarissime vel nunquam esse ornantia. At bene est videndum, quem in modum natura illas qualitates, ut ita dicam, arbitrarias universo rerum generi attribuerit. Si enim qualitatem quandam, formam, magnitudinem, colorem in singulis unius generis rebus diversum in modum inesse videmus, plerisque in locis epitheta, quae certam illam qualitatis rationem indicent, pro

necessariis habenda esse opinor, quum illis adiectivis omissis res, quae commemoratur, ut recte a ceteris eiusdem generis rebus discernatur, vix fieri possit. Si vero illa qualitas singulis eiusdem generis rebus aequabiliter est attributa, ut is, qui unum illius generis exemplar viderit, totum fere cognoverit genus, adiectivum illam qualitatem significans ubique vel saepissime epitheton ornans esse censendum est. Exempla quid censeamus dilucidius faciant. Si poeta equos memorat albos, nigros, rufos, haec adiectiva sine dubio non sunt ornantia; si vero ab Homero vocantur sues *σύες χαμαιαιωνάδες* Od. XIV., 15, leones *λέοντες ὄρεσίτροφοί* Il. XII., 299, XVII., 61, thoes *θῶες δαφονοί* Il. XI., 474, lupus *λύκος πολίος* Il. X., 334, a Statio olores nivei Theb. VIII., 676, similia; haec adiectiva pro ornantibus sunt habenda, quum haec animalia singula easdem totius generis qualitates habeant neque, ut lectoris animus recte ad leones, sues, olores etc. ducatur, poetam illorum animalium colorem sive alias qualitates notissimas certis verbis exprimere necesse fuerit. Permultum vero oblectamenti et candoris carminibus adiungi appositis illius generis adiectivis, quae non ratione tantum qua ficta sint, animum et aures delectant, sed novitate etiam et veritate poetae sagacitatem et sapientiam pulcherrime ostendunt, certe nemo est, qui neget.

Atqui saepissime leguntur adiectiva epitheti ornantis loco posita, quae minime indicant qualitates universo generi attribuendas ideoque necessaria esse videntur, ut res cuius nomini adiunguntur a reliquis eiusdem generis rebus bene distinguatur. Quo ex genere quae commemorantur imprimis digna sunt adiectiva, quae plerumque ad hominum sive deorum nomina apponi solent et a grammaticis epitheta perpetua vocata sunt, quod singula certo cuidam nomini adiunguntur. De his quid censi velim nunc breviter explicare placet. Ex quotidiana consuetudine fieri scimus, ut nominibus hominum, qui praestantia quadam et virtute sive animi sive corporis ceteris antecellant, epitheton ex ea praestantia ductum apponatur vel solum nominis vice usurpetur: qua ex consuetudine vetustissima omnia nomina propria quae vocantur originem traxisse pro certissimo habeo. Neglectis illis adiectivis veram hominis cuiusdam imaginem difficillime tantum vel minime animo imprimi posse, manifestum est; vere igitur illa esse epitheta ornantia dici non potest; sed quum hominum unusquisque ipso suo nomine satis ab aliis distinguatur, adiectivum huic nomini appositum, quotiescunque commemoratur, ornamentum quoddam affert, quod supervacaneum videtur certe iis, qui hominem de quo agitur bene noverint. Adiectivum igitur *ξανθός* sine dubio nobis veram Menelai speciem indicat et propterea pro necessario epitheto haberi potest; quum autem ex omnium Graecorum et Troianorum Menelaus solus ferme *ξανθός* appellari soleat et Menelai nomen fere ubique secum habeat adiectivum *ξανθός*, hoc epitheton similitudinem quandam ornantis accepit: nam qui semel Menelaum *ξανθόν* fuisse legerit, eius imaginem tam claram sibi fixerit, ut adiectivum semper appositum nihil faciat ad recte distinguendum Menelaum a ceteris ducibus. Adiectivo saepe repetito poeta, opinor, admonere voluit, illam qualitatem hominis, cuius nomini epitheton apponeret, adeo esse propriam, ut reliqui omnes ea carere videantur: qua de causa epitheta perpetua quae vocantur plerumque unius tantum vel paucorum nominibus apponi solent. Significatio epithetorum perpetuorum spectat aut ad formae praestantiam, ut epitheta praecipue cum feminarum nominibus coniuncta demonstrant, aut ad animi et mentis virtutem aut ad totum ingenium ac mores, sicuti cerni potest ex his perpetuis *καλλίστροφος, λευκόλενος, εὐπλόκαμος, πολύμητις, ποικιλομήτης, μεγάλητωρ, πολυμήχανος, δουρικλειτός, κλυτότοξος*, permulta alia, quae nobis sub singulis nominibus sunt afferenda et tractanda. — Ad epitheta ornantia denique adnumeranda esse puto illa, quae natum, domicilium, clara facinora indicant et praecipue nominibus deorum adscribi solent, v. g. *Κυλλήνιος, Αὐκογενής*, Delius, Lemnius, similia, quae fere omnia nominum ipsorum vice ponuntur; id quod de perpaucis tantum reliquorum epithetorum possum contendere; ut iam supra commemoravi, Servius huius generis epitheta appellat antonomasiva.

Quoniam iam satis multa praefatus esse videor, ex quibus, quid de epithetis ornantibus censeam, intelligatur et quantam in iisdem inesse gravitatem putem non modo ad recte iudicandam singulorum poetarum

praestantiam, sed etiam ad cognoscendam cogitandi de omnibus rebus rationem quā homines, qui fuerunt poetarum aequales, usi sint, iam epitheta composituri sumus, quae cum singularum rerum nominibus coniuncta reperimus in illorum poetarum carminibus, quos in proemio huius commentatiunculae commemoravi. Sed quum spatium paginarum fere viginti, quae mihi in hoc libello scholastico assignatae sunt, multitudinis epithetorum, quae collegi, vix quintam partem continere possit, hac opportunitate uti placet, ut reliquis epithetis neglectis, ea tantum conscribam, quae poetae hominum, corporis humanum partium, bestiarum, armorum, supellectilis nominibus poetae adiunxerunt; et ita quidem, ut primo loco tractem epitheta hominum, altero partium corporis humani, tertio bestiarum, quarto armorum, supellectilis.

### Caput I.

#### De epithetis ornantibus hominum nominibus annexis.

Ab Homero universum genus humanum vocatur: *διζυροὶ βροτοί* Od. IV., 197, *δειλοὶ βροτοί* Od. XII., 341, XV., 408, II. XXIV., 525, *καταθνητοὶ ἄνθρωποι* Od. XIX., 285, XX., 76, XXIII., 126, *ἐπιχθόνιοι ἄνθρωποι* Od. XXII., 414, XXIII., 65, *χαμαὶ ἐρχόμενοι ἄνθρ.* II. V., 442, *ἄνθρωποι αὐδήεντες* Od. VI., 125, (*Λευκοθέη ἢ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα* Od. V., 334), *μέροπες ἄνθρωποι* Od. XX., 49, 132, II. XVIII., 288, *μέροπες βροτοί* II. II., 285, *πολυσπερεῖς ἄνθρ.* Od. XI., 365, II. II., 804. — *Ἄνθρωποι Λιοτρειεῖς*, quod legimus Od. V., 378, huc non pertinet, quum Neptunus hac voce Phaeaces indicet. — Adiectivum *διερός* (de quo cf. Lehrs de Aristarch. stud. p. 56—60) non est epitheton ornans. — Lucretius et Vergilius ex epithetis ab Homero hominibus attributis ea tantum imitati sunt, quae miseriae humanae admonent: scripserunt enim miseris mortalibus Lucr. V., 942, Verg. Aen. XI., 182; miseros homines Lucr. III., 60, et pro substantivo positum miseri Lucr. III., 51, 930, IV., 1152, saepius: aegris mortalibus Lucr. VI., 1.

Viros Homerus appellat *ἀλφησιὰς* Od. I., 349, VI., 8, et *σιτοφάγους* Od. IX., 191, quibus similia epitheta apud Romanos non reperi. Statius Adrasto non fuisse filios hunc in modum narrat: hic sexus melioris inops, sed prole virebat feminea Theb. I., 393, quocum cf. sexusque oblita minoris spumat femina Th. IX., 118. Mulieribus permulta attribuit Homerus epitheta, quae omnia, quam strenuus fuerit muliebris formae arbiter, satis comprobant. Ubi loquitur de universo feminarum genere, usurpat epitheta *βαθύζωνος* Od. III., 154, *καλλίζωνος* Od. XXIII., 147, II. VII., 139, XXI., 698, interdum *ἐύζωνος* v. g. II. XXIII., 760, quamquam saepius haec vox est epitheton certarum mulierum, Briseidis II. I., 429, nutricis Astyanactis II. VI., 467, pellicis Patrocli *Ἰφις ἐύζωνος* II. IX., 667. — Saepissime Homerus cum substantivo *γυναικες* coniunxit epitheton *θηλύτεραι* sicuti Od. XV., 422, XXIV., 202, II. VIII., 520. Alia epitheta mulierum semper certarum nominibus annexa sunt: *λευκώλενος*; praeter Junonem Homerus sic appellat Helenam II. III., 121, Nausicaam Od. VI., 186, Areten matrem Od. VII., 233, servas eiusdem Od. VI., 239, Penelopae ancillas Od. XIX., 60, Andromachen II. VI., 371; *εὐκομος*, multarum feminarum epitheton, Latonae Od. XI., 318, II. XIX., 413, Helenae II. III., 329, Thetidis II. XVI., 860, *καλλίκομος* Helenae Od. XV., 58; *εὐπλόκαμοι* vocantur feminae maxime diversae: deae, nymphae Od. V., 60, reginae, ancillae II. XI., 624,

Troades II. VI., 380, *καλλιπλόκαμος* Thetis II. XVIII., 407, XX., 207, *καλλίσχυρος* Hebe Od. XI., 605, Marpessa II. IX., 557, Danae II. XIV., 319, *καλλιπάρης* Latona II. XXIV., 607, Helena Od. XV., 123, Briseis II. I., 323, XIX., 246, Chryseis II. I., 310, Themis II. XV., 87, Diomede II. IX., 665, Theano II. XI., 224; *εὐπέπλος* plerumque est epitheton Achaidum, ut Od. XXI., 160, II. V., 424, sed interdum aliarum mulierum sicut II. VI., 372, 378, II. XXIV., 769, *τανύπλεπος* est Helena II. III., 228, Od. IV., 305, XV., 171, Ctimene Od. XV., 363, Thetis II. XVIII., 407; *βοῶπις*, quod aliis locis est epitheton Junonis, coniunctum est cum nominibus Clymenae II. III. 144, Philomedusae II. VII., 10; *ἐλκεσίπεπλος* II. VI., 442, VII., 297, est sicuti *βαθύκολπος* epitheton Troadum. — Huc accedant nonnulla epitheta perpetua mulierum certarum. Thetis praeter illa epitheta, quae iam commemoravimus, accepit perpetuum *ἀργυροπέξα* Od. XXIV., 92, II. I., 538, IX., 410, et semel, quantum memini, vocatur *ἀλοσύδνη* II. XX., 207. Penelope habet epitheta perpetua *περίφρων* Od. I., 329, XIV. 373, et *ἐχέφρων* Od. XIII., 406. — Adiectiva *πολυμνήστη* et *εὐειδής* quae cum substantivo *γυνή* coniuncta legimus (alterum Od. IV., 770, XIV., 64, XXIII., 149, alterum II. III., 48) unico loco Od. XIV., 64 excepto non esse ornantia dico, quum illos locos legentes minime de omni mulierum genere cogitare cogamur. — Muniunt mihi illa epitheta proxime allata viam, ut transeam ad epitheta, quae in germanico carmine epico ad mulierum nomina exornanda adscripta reperi. Ubique fere illis epithetis certarum feminarum nomina exornantur, attamen ex eò, quod poeta permultis feminis eadem epitheta attribuit, non falso concludi licet, poetam de maxima parte omnium feminarum similiter iudicasse. Mulieres vocantur schoeniu wip str.\*) 27, 327, schoenen frouwen str. 261, 1103, saepius hoc adiectivum ad nomina singularum mulierum appositum est, sicuti schoenen Siglinde str. 178, Kriemhilt diu schoene str. 224, 332, 648, der schoenen Helchen lip 1084, 1100, 1109. Alia epitheta mulierum sunt waetlich str. 23, 286, 396, 1460, hêrllich 336, 753, wol getân 547, 630, 737, wolgeborn 326, edel 222, 516. minneclich 241, 366, 280, 525, 1094, 331, 404.

Sequantur epitheta, quibus Homerus exornavit substantivum *ἄλοχος*. Praeter adiectivum *φίλος*, quod pariter ac germanicum lib (mine liben vrouwen str. 604) uti cum omnibus nominibus, quae diversas propinquitatis rationes indicant, sic praecipue cum nominibus patris, matris, filii saepissime coniungitur, haec adiectiva legimus cum *ἄλοχος* coniuncta *κεδνός* Od. I., 432, *αἰδοίος* II. VI., 250, *καλλικρήδεμνος* Od. IV., 623. — Utrum *πολύδωρος*, quod legitur II. VI., 394, ad Andromachen solam (cf. II. XXII., 472) referatur oporteat, an spectet ad communem illius temporis morem, quo uxores multis donis conciliabantur, non satis liquet; *κουρίδιος* sciens praetermissi.

*Μήτις* habet epitheta *ἠπιόδωρος* semel II. VI., 251, *πότνια* saepissime. Virgines ab Homero vocantur *κοῦραι εὐώπιδες* Od. VI., 113, 142, *ἐλικώπιδες* II. I., 98, *εὐπλόκαμοι* Od. VI., 135, *παρθένοι ἀδμήτες* Od. VI., 109, 228, *ἀλφεισίβοιαι* II. XVIII., 593. Solo *ἀλφεισίβοιαι* excepto omnia quae attuli epitheta certas virgines, Nausicaam eiusque ancillas significant; quamquam poetae de omnibus virginibus iudicium continere videntur. — Cum his Homericis comparari licet solum epitheton a Vergilio Aen. II., 238 usurpatum in nuptae puellae. Eo crebriora sunt epitheta, quae germanicus poeta virginibus attribuit, quorum pleraque cum mulierum nominibus coniuncta esse, iam supra diximus. Sunt enim haec attributa diversis virginis nominibus *meit*, *maget*, *magedin*, *kint*, *schoen* str. 31, 242, 396, 500, 522, *lobelich* str. 304, 440, *schoen* et *lobelich* coniuncta str. 577, *waetlich* str. 275, 532, *hêrllich* et *vil hêrllich* str. 353, 500, 430, 51, 55, 122, *edel* str. 135, 423, et cum *guot* coniunctum str. 435, 447, *minneclich* str. 283, 570, *wol getân* str. 1233, *ze wunsche wol getân* str. 45.

\*) Numeri indicant strophas in editione Lachmanniana excusa Berolini 1826.



Parentes (*τοκῆες*) habent apud Homerum epitheton, de quo iam locuti sumus, *φίλοι* ut II. XIV., 296; liberi nuncupantur *ἀγλαὰ τέκνα* Od. XIV., 223, quod epitheton unicum praeter *φίλος* cum nomine *τέκνον* coniunctum legitur. Cum Homericō *ἀγλαὰ τέκνα* fortasse non inepte comparari potest Lucretianum nati dulces III., 895. — *Νήπια* epitheton, quod saepissime ad *τέκνα* appositum est, ornans haberi non iuvat, quum hac voce certam aetatem et animum huius aetatis proprium significari manifestum sit: idem significat *νηπίαχος*. Anus apud Homerum est *γραῦς παλαιγενής* II. III., 386; senes *γέροντες πολιορκῆται* II. VIII., 586.

Adiectiva *γαϊδιμος* et *ἀγλαός*, quae persaepe cum substantivo *νῖός* coniunxit Homerus non iniuria fortasse inter epitheta ornantia huius vocis numeramus, quamquam plerumque sunt epitheta virorum; propter ipsorum virtutem et patriam gloriam celebrandorum.

*Θεράποντες* apud Homerum sunt *δορυφοροὶ* Od. I., 109, II. I., 321, sexcenties, quod adiectivum generalem armigerorum vel famulorum virtutem indicat, alacritatem; quamobrem semel est adiectum voci *ταμίη* II. VI., 381, quae alias ubique secum habet adiectivum *αἰδοίη*, uti Od. IV., 55. *Θεράποντες* praeterea vocantur *ἄθροιοι* II. VIII., 114, *ὑπέρθυμοι* Od. XIV., 326, *ἀγχίμαχοι* II. XVII., 165, utpote armigeri viri fortes atque rerum bellicarum periti esse soleant. — *Κήρυξ* habet haec epitheta perpetua *λιγύφθογγος* Od. II., 6, II. II., 50, 442, XXIII., 38, saepius; *ἠπύια* semel II. VII., 384, *ἡερόφωνος* II. XVIII., 505, *ἀστυβοώτης* II., XXIV., 701, *καλήτωρ* II. XXIV., 577. *Ἄγραυοί* (Od. VIII., 418, II. III., 268) et *Θεῖοι* (II. IV., 192) vocantur praecones, qui plerumque viri nobiles ac fortes erant, ut lectores magis virtutis eorum meminerint, quam muneris.

Similis est ratio epithetorum, quae medicis attributa sunt: reperimus enim perpetuum *πολύφαρμακος* II. XVI., 28; praeterea *ἀμίμων* II. IV., 194, quod medicum arte insignem indicare nego; ornans est epitheton viri; at ne omnino illam interpretationem reiiciamus videtur prohibere versus II. II., 732, *ἰητῆρ' ἀγαθῶ, Ποδολείριος ἦδ' ἔ Μαχάων*.

*Ἄοιδός* saepissime cum adiectivo *ξείηρος* coniungitur (sicuti Od. I., 546, VIII., 62, 471 etc.) quod Passowio auctore epitheton ornans habendum est, quum voci *ἄοιδός* annectitur, neque dubitari potest, quin poeta indicare voluerit, uniuscuiusque vatis cantu homines commoveri eodem modo: *ἄοιδός ξείηρος* legitur saepissime sicuti Od. I., 546, VIII., 62, 471. — Ut simile quid afferamus e poetis latinis, Ennius vocat poetas sanctos frg. ed. Hessel p. 147, oratores doctiloquos ibid. p. 328.

Reges apud Homerum sunt *βασιλῆες σκηπτοῦχοι* Od. VIII., 41, 47, II. II., 86, *διοτρεφεῖς* II. II., 98, 445, *ὑπερμενεῖς* semel II. VIII., 236. Alia regum epitheta sunt *αἰδοίος* cum *βασιλεύς* II. IV., 402, *κεδνός* cum *ἄναξ* Od. XIV., 170, coniuncta. Ennius et Lucretius reges vocant superbos (En. frg. ed. Hessel p. 148, Luc. V., 1222) in aliorum poetarum Romanorum carminibus epitheta regum non reperi; nam quum Stadius scriberet reges semideos Theb. III., 518, Argonautas indicaturus fuit. — Auctor germanici carminis epici attribuit regibus haec epitheta: *rich str. 20, 97, 277, edel str. 706, edel unde riche str. 4, 517, hēr str. 1171, 1288, rich und hēr str. 401, gewaltic, hēr und rich str. 2256*. Eadem epitheta accepit reginae vox, ut certae reginae, Kriemhilde, aliae indicarentur *rich str. 7, 50, edel str. 61, 973, edel hēr str. 236, 1229, hēr str. 332, 1289*. Praeterea regina Kriemhilde vocatur *Küniginne milt str. 953, fuerstentohter milt str. 399*.

Mendici appellantur ab Homero *πιωγοὶ κακοεῖμονες* Od. XVIII., 41, praedones *ληϊστήρες πολυπλαγκοὶ* Od. XVII., 425, peregrini *ξείνοι τηλεδαποί* Od. XIX., 351, 371, *ξείνοι ταλαπεῖριοι* Od. XIX., 379 (cf. *ἰκέτης ταλαπεῖριος* Od. XIV., 511) [in germanico carmine commemorantur unkunde geste str. 1610, Hebe geste str. 1445]. Hostes Homerus nuncupavit *δηῖονες θυμοραϊστὰς* II. XVI., 591, XVIII., 220. Aliis locis epitheton *θυμοραϊστῆς* morti attributum est II. XIII., 544, XVI., 414, 580. — Nautas commemorat Ennius hunc in modum nautisque mari quaesentibus vitam frg. ed. Hess. p. 51.

Bellum gerentes et pugnantes, ut qui semper in summa hominum admiratione fuerint, ab Homero permultis epithetis iisque maxime variis descripti sunt, quae quidem non omnia continent notionem, quae sit omnino referenda ad bellicas virtutes, quamquam maximam partem indicant talem indolem atque naturam, qua praediti bellatores praecipue sibi conciliant laudem atque gloriam; saepissime epitheta ad hanc ipsam gloriam spectant. De universo pugnantium genere locuturus Homerus his usus est epithetis:

*αἰζηός* quod Homerus non usurpavit nisi substantivi locum teneret, quamquam profecto adiectivum fuisse mihi persuasum est; huic voci adiecta sunt epitheta ornantia *θαλερός* II. X., 259, XIV., 4, *Ἀργίθους* II. VIII., 298, XV., 315, *διοτρεφής* saepissime uti II. II., 660, IV., 280. Praeterea vocantur bellatores: *άνερες ἀσπιδιώται* II. II., 354, XVI., 167, *χαλκοθώρηκες* II. IV., 448, vel *χαλκιοθώρηκες* II. VIII., 62, *αἰχμηταί* II. III., 49, *ἐγχέσπαλοι* II. II., 131, *ἑπποκορυσταί* II. II., 1, XXIV., 677, quae omnia certorum quoque virorum nominibus apposita sunt. — Sequantur epitheta, quae quidem semper coniuncta sunt cum nominibus propriis, minus tamen ad singulorum hominum virtutes, quam ad universos bellatores videntur spectare, quum singula plurimorum et diversissimorum virorum nominibus attributa sint ab Homero, quem certam hac in re legem esse secutum non perspeximus. —

Animum rebus bellicis intentum haec indicant adiectiva: *δαίμων*, quod hac notione in Iliade sola uti docet Passowius, fortissimi fere cuiusque nomini affigitur, ut Atrei II. II., 60, Tydei II. IV., 370, Bellephontis II. VI., 162, *μεγάθυμος* Od. III., 425, II. V., 577, *μεγαλήτωρ* Od. VI., 196, II. V., 785, *θυμολέων* II. VII., 228, XVI., 146, quibus adiungere placet *δλοόφρων*, de quo cf. Passow. Bellicam virtutem et constantiam atque diversas alias bellatoris artes haec epitheta describunt: *μενεπιτόλεμος* sicuti vocantur Polypoetes II. VI., 29, Polyphontes II. IV., 395, permulti alii; *μενεχάρμης*, epitheton Hippolochi II. XI., 122, Hipponoi II. XI., 303, *Ἀργίος* Idomeni II. XI., 501, Achaeorum (*νῆες Ἀχαιῶν*) II. XVI., 42, *Ἀργήφιλος* Meleagri II. IX., 550, Menelai Od. XV., 169, II. III., 21, 206, Achaeorum II. VI., 299, *ἵπποδαμος* Diomedis Od. III., 181, Antenoris II. VI., 299, permultorum; *ἵππηλάτα* (*Φοῖνιξ* II. IX., 432) *ἵπποτα* (*Νέστωρ* Od. III., 210, *Τυδεύς* II. V., 126, sexcenties) *πλήξιππος* (*Οἴλεός* II. XI., 93, *Πέλοψ* II. II., 104, *Μενεσθεύς* II. IV., 327, *Ὀρέσιης* II. V., 765, permulti) *ποδάρεης* (*δῖος Ἀχιλλεύς* II. I., 121, *Ὀδυσσεύς* II. XXI., 49) *πόδας ὠκύς* (*Ἀχ.* II. I., 148, 364, saepissime; *Ὀρσίλοχος* Od. XIII., 260) *πόδας ταχύς* (*Αἰνείας* II. XVIII., 482) *ποδάρεης* (*Αἰακίδης* II. II., 860; saepe) *πολύσκαρθμος* epitheton Myrinae II. II., 814, *δοουρικλειτός* s. *δοουρικλυτός* (*Μενέλαος* II. V., 55, *Φυλείδης* II. V., 72) *ἐὐμμελής* (*Πρίαμος* II. IV., 57, 165, VI., 449, saepius) *σακέσπαλος* (*Τυδεύς* II. V., 126) *άνδροφόμος* (*Ἐκτωρ* II. VI., 498, *Ἀνκοῦργος* II. VI., 134) *ρήξήνωρ* (*Ἀχιλλεύς* II. VII., 228, II. XVI., 146) *πιολίπορθος* (*Ἀχ.* II. VIII., 372).

Alia epitheta diversi generis sunt *τηλεκλυτός* (*Ὀρέσιης* Od. I., 30) *τηλεκλειτός* (*Ἐριάλης* Od. XI., 300) *κυδάλιμος* (*Μενέλαος* Od. XV., 5) *ἀγακλυτός* (*Ἰδομενεύς* II. VI., 408) *ὄνομακλυτός* (*Ἄλλης* II. XXII., 51) *θεοείκελος* (*Τηλέμαχος* Od. III., 416, *Ἀχιλλεύς* II. I., 131, saepe) *θεοειδής* (*Ἀσκάριος* II. II., 862, *Ἀλέξανδρος* II. III., 16, 27) *άνάθεος* (*Ἔτος* Od. XI., 308, *Πολυνείκης* II. IV., 377) *πελώριος* (*Αἴας* II. III., 229) *Ἀχιλλεύς* II. XXI., 527, *κορυθαίαιλος* (*Ἐκτωρ* II. II., 816, III., 83, saepe) *χαλκοκορυστής* (*Ἐκτωρ* II. V., 699, VI., 398, *Σαρπήδων* II. VI., 199). —

Epitheta virorum, quae ex Romanorum carminibus enotavimus, non tantam varietatem praebent; nam omnia id genus adiectiva spectant ad animum. Adiectiva similiter composita ut graeca *μενεπιτόλεμος*, *πλήξιππος*, *ποδάρεης*, in latinis carminibus omnino desiderantur. Maxime in deliciis habent Romani poetae epitheton magnanimus, quod attribuit Lucretius Phaetonti V., 400. Vergilius hoc epitheto appellat Aenean Aen. I., 260, V., 17, IX., 204, X., 771. Volscentem Aen. X., 563, heroes Aen. VI., 307, 649, equos Aen. III., 704; Statius Lycurgum Theb. V., 653, Tydea Th. VI., 827, Capaneum Th. XI., 1. Neque rarius usurparunt Vergilius et Statius adiectivum fortis, quod adiunxerunt nominibus Gyaee Aen. I., 612, Cloanthi

ibid. Mimantis Theb. IX., 290, — ardens vocatur Laocoon Aen. II., 41, Julius Aen. IX., 652; acer epitheton acceperunt Orontes Aen. I., 220, Lycurgus Aen. III., 14. Saevus est Achilles Aen. II., 29; Hector Aen. I., 99; Ulixes Aen. III., 273; Drances Aen. XI., 220; Tydeus Theb. VIII., 500. Saevum securi Torquatum nominat Vergil. Aen. VI., 825. Fulmineus est epitheton multorum virorum apud Vergilium, ut Menesthei Aen. IX., 812; saepius apud Statium sicuti Tydei Theb. IV., 94; Dorylae II., 571. Feri vocantur a Statio Hypseus Theb. VIII., 445; Hippomedon Theb. IX., 154; 196; trux Atalantiades Theb. IX., 789; Cadmus Theb. X., 127; atrox Iteus Theb. XII., 622. Reliquum est, ut nonnulla singulorum virorum perpetua epitheta afferamus. Plurima epitheta attribuit Homerus Ulixi, quorum quaedam Vergilius aliquem ad modum imitari studuit; perpetua apud Homerum Ulixes habet haec epitheta: *ταλασίφρων* Od. I., 87; V., 31; II. XI., 466; saepissime; *πολύτλας* Od. V., 486; VI., 1; sexcenties; *ιλήμων* II., X., 231, 498; *πολύμητις* Od. II., 173; VII., 207; II. I., 440 (semel Vulcanum sic appellat poeta II. XXI., 355) *ποικιλομήτης* Od. III., 163, VII., 168, XXII., 15, *πολυμήχανος* Od. V., 203; X., 504, persaepe; *πολύτροπος* Od. I., 1, X., 330; *πολύαινος* Od. XII., 184. Vergilius Ulixem vocat pellacem Aen. II., 90; infelicem Aen. III., 613 et duobus epithetis, quae habent substantivorum formam scelerum inventorem Aen. III., 273, et fandi fictorem Aen. IX., 602. Durus, quod legitur Aen. II., 7, ne pro imitatione graecorum *πολύτλας* s. *ιλήμων* habeamus Servius monet, qui ad locum laudatum disseruit: „duri non laboriosi, quia non laudaret eum, quum esset hostis; sed duri i. e. crudelis ut X., 44.“ Quibus mea sententia non satis recte dictis addidit alia, quibus Vergilli et Homeri consuetudinem nominum epithetis exornandorum explicaret: nam Vergilius pro negotiorum qualitate dat epitheta: cum Homerus eadem etiam in contrariis servet. Praeterea e Romanorum carminibus haec epitheta perpetua enotavi: pius Anchises En. frg. ed. Hess. p. 12; Capys optimus ibid. Romulus polcer ibid. p. 19; Horatius inclutu' saltu ibid. p. 46; semper florens Homerus Lucret. I., 124; pius Aeneas Aen. I., 220, 379, saepissime; crinitus Jopas Aen. I., 740; cristatus Achilles Aen. I., 468; niger Memnon Aen. I., 489; fidus Achatas Aen. VI., 158; aequoreus Theseus Theb. XII., 730; qui alio loco vocatur Neptunius Theb. XII., 665. — Per magnam illam multitudinem epithetorum, quibus auctor carminis, quod „der Nibelungen not“ inscribitur, nomina virorum exornavit ita componam, ut singulis virorum fortissimorum nominibus quaecunque epitheta a poeta adscripta sunt enumerem, qua in re fieri non poterit, quin saepius commemorem eadem epitheta: *rechen* vocantur edel str. 314; *stolz* str. 63, 262; *die lieben* str. 161; *hërlich* str. 81; *vil hër* str. 334; *lobelich* str. 548; *guote* str. 1028, 1030; *zieren* str. 1512; *ûz erwelten* str. 448; *ûz erkoren* str. 5, 75; *vil gemeit* str. 360, 842, 973, 1149, 2241; *vil balt* str. 218, 859; *snelle* str. 392, 1156, 1228; *küene* str. 1; *stark und vil küene* str. 8; *küene und gemeit* str. 939; *küene und guot* str. 2218; *küene und rich* str. 335; *hõh gemuoten* str. 76, 1446; *waetlichen* 547; — riter acceperunt haec epitheta: *gemeit* interdum additis adverbis *vil sive wol* str. 80, 130, 152, 454, 652, 858, 1467; *edel* 440; *hër* 1513; *snell* 472; *lobelich* str. 516; *ûz-erkoren* str. 819, 1924; *stolz* str. 6; *guot* 205; *rechte guot* str. 16; *küene und guot* str. 229; *edel und guot* str. 291, 598, 1107; *stolze riter guot* str. 890; *zieren riter guot* str. 752; *edel riter balt* str. 910; *küene und balt* str. 379, *küene und gemeit* str. 118, 148; *d. snellen riter lobesam* str. 368; *lobelich, edele, biderbe und guot* str. 1287; — *degen* vocantur *guot* str. 2262; *snell* str. 325; *guot und snell* str. 22, 706, 1514, 2285; *balt* str. 1015; *küene* str. 1278; *küene und balt* str. 1872; *küene und guot* str. 891, 1027; *küene und hër* str. 1120; *ûz erwelten* str. 10, 969, 2302; *hõh gemuoten* str. 35, 283; *zieren* str. 1179, *zïerliche* saepe praeposito *vil* str. 153, 189, 583, 1977, 2286; *riche* quo Sifritus indicatur semel str. 364; — *helden* his epithetis exornavit poeta: *lobebaeren* str. 1; *hõh-gemuot* str. 86, 557; *guot* str. 319,

367, 432; snelle str. 356; guot und snell str. 2210; küene und guot 473; küene und snell str. 425; küene und gemeit str. 397, 1036, 1945; vil gemeit str. 306, 384, 932; maere str. 2216; maere helt guot str. 1917, 1992; sturmküene str. 2186; zer hant str. 1458; zen handen str. 1544; ze sinen handen str. 1728. — Voci *man* attribuit auctor epitheta küene str. 168; sturmküene str. 200 (cf. stritküene Sahren str. 201); èren gernde str. 2155; waetliche s. vil waetliche str. 43, 218, 240, 384, 410, 1052. Nullo substantivo apposito ex illorum epithetorum numero reperi diu küenen s. vil küenen str. 220, 334, 439; diu üz-erwelten str. 231, 346; höh gemuoten str. 242; snellen 1086: vil snellen 1415. — Epitheta quae vocantur perpetua in germanico carmine non inveniuntur, nisi quis huc referenda esse censeat, quae ad nomina Irinci et Volkëri apposita legimus. Irincus vocatur Irinc der vil snelle, vor valsche wol bewart str. 1285; Volkërus est mit ganzen ellen wol bewart str. 9, et an zühten wol bewart str. 1592. Idem Volkërus alio loco nominatur der spaeh videlaere str. 1697. Num adiectiva grimme, quod legitur str. 1440, et vreisliche str. 98, vere sint epitheta ornantia summopere dubito.

## Caput II.

### Epitheta, quibus singularum corporis humani partium nomina exornata sunt, componuntur.

Graecum *γυῖα* haud dubie omnia membra significat, quamquam permultis locis apud Homerum ad pedes, genua, manus videtur esse referendum. Epitheton huius vocis saepissime ab Homero usurpatum est *φαιδίμος* II. X., 95; XVI., 805; quod quum praeter illos quos attuli locos saepissime inveniamus epitheton virorum fortium, quorum membra a poeta potissimum commemorari par est, hac de re ipsa pro ornanti haberi licet, quoniam profecto primi cuiusque membra non possunt vocari *φαιδίμα*. Magis epitheti ornantis speciem prae se fert latinum mollis, quod Lucretius IV., 980 voci membrorum adiunxit; at ne hoc quidem loco poeta omnium naturam membrorum habuisse in mente videtur, sed praecipue de saltatorum motibus cogitasse.

Epitheta contemplantes, quae Homerus attribuit manibus, facile intelligimus, poetam praecipue manus virorum eorumque validissimorum et ingentium voluisse describere. Legimus enim *χερσὶ στιβαροῦσι* Od. VIII., 84; XVIII., 335; *βαρσείας χεῖρας* II. I., 89; XI., 235; *ἀάπτιους χεῖρας* II. I., 567; XI., 169; XIII., 49; *Θρασειάων χ.* II. XV., 314; *χ. παχείη* Od. XIX., 448; II. III., 376; permultis locis; e quorum numero unum tantum promere libet Od. XXI., 6, ex quo quam facillime nobis persuadere possumus, Homerum ipsum adiectivum *πάχης*, quod tam saepe voci *χεῖρ* coniunxisset, pro perpetuo quasi usurpasse. Penelopes enim manum I. I. *παχείαν* vocat; id quod quam sit ineptum intelliget quisquis meminerit, quam multis locis poeta pulchritudinem huius reginae summis laudibus extulerit; neque consentio cum iis, qui reiicientes *ἀκνρολογίαν*, quam Eusthatio auctore veteres grammatici hoc loco denotarunt, ex hoc loco manum Penelopes satis fuisse carnosam concludi velint. Praeter ea epitheta, quae iam attuli, Homerus saepe cum manus nomine coniunxit adiectivum *φίλος*, quod multis aliis corporis partibus appositum est; sicuti demonstrant hi loci: *λαίμῳ φίλος* II. XIX., 209; *γούνατα φίλα* II. X., 90; *στήθεσσι φίλοισι* II. IV., 360; XIII., 73; *φίλον κῆρ* Od. VII., 309; *φίλον ἦτορ* Od. VII., 269; II. V., 670. E Romanorum poetarum carminibus

duo tantum habemus epitheta manuum, quae afferamus; alterum est tener, quod Lucretius adhibuit VI, 795 de mulieris manibus locutus; alterum fulmineus Statius scripsit Theb. VI., 747, ut depingeret pugilum pugnae intentorum vim. Vergilius ubicunque manus nomini epitheton adscripsit, certam manuum speciem intelligi voluit; cf. Aen. III., 624; V., 241. — In carmine germanico duo epitheta reperi, quae manibus attribuit poeta, quorum alterum ellenhaft str. 1175 validam Etzeli regis manum indicat. Altero vil wiziū saepius usus est poeta, ut mulierum manus describeret str. 293, 544, 609, 952, 1298, 1639. Semel tantum Giselhèri manus vil wiziū vocantur str. 1623. Idem epitheton usurpatum est in locis, ubi brachia mulierum commemorantur, sicut str. 427, 546. Digni a Lucretio II., 413 mobiles vocantur. Humeros vocat Homerus *εὐρέας* Od. XXII., 488; *σιβαρόνς* Od. XIV., 528; XV., 61; *φαιδίμους* Od. XI., 128. Oculi, quos Homerus nuncupavit *ὄμματα μαρμαίροντα* II. III., 397, vel *ὄσσε φαινώ* II. XIII., 3, 7; XVI., 645 (nihil enim refert, opinor, omnes locos laudatos ad oculos Deorum, Veneris et Jovis esse referendos) a Vergilio diversis epithetis exornati sunt; oculi nuncupantur faciles Aen. VIII., 310 (Aeneae) decori Aen. XI., 480 (Laviniae) ardentis oculorum orbis (Aeneae) Aen. XII., 670, (Turni) ardentia lumina (Cassandreae) Aen. II., 405. In carmine germanico oculi sunt — liehtiu s. vil liehtiu ougen str. 360, 573, 786, 1189. — Cordibus et pectoribus virorum fortissimorum praeter *γίλος*, de quo iam supra diximus, ab Homero attributa sunt epitheta alia; sicuti cerni licet ex his locis: *κινάλιμον κῆρ* II. X., 16; *ἀδινόν κῆρ* II. XVI., 481; *λάσιον κῆρ* II. XVI., 554; *σιήθεσσι λασιόισι* II. I., 189 — cum his Homericis unum tantum epitheton a Statio usurpatum comparari licet, ignea corda Theb. II., 411. Germanicus poeta corda appellat *hōch* tragende herzen str. 286. — Pectus feminarum ab Homero vocatur *σιήθεα ἡμερόεντα* II. III., 386, 397; similitudinis causa huc afferamus *μαζὸν λαδικηδέα* II. XXII., 83; — *ἡμερόεις* praeterea nuncupatur c utis (Junonis) II. XIV., 170, (cf. Od. XVIII., 194, *Χαρίτων χορὸν ἡμερόεντα*.) — Aliis locis cutis appellatur *τέργη* II. IV., 237, quo loco de toto corpore esse cogitandum videtur, et *λειριόεις* II. XIII., 830; *λειριόεις* praeterea est epitheton vocis cicadarum II. III., 152; humana vox accepit epitheta *πολυηχῆς* Od. XIX., 521 et *θαλερῆ* saepe, ut Od. XIX., 472. Cervix apud Homerum ornans habet epitheton *ἀπαλός*, quod adiectivum cum voce *ἀγχῆν* coniunctum legimus II. XXII., 327 (de cervice Achillis) cum *δειρή* II. III., 371 (de Paridis) II. XVIII., 177; XIX., 285 (de Patrocli cervice.) Vergilius cervicem Veneris appellat roseam; Vergilium autem virorum cervices sic nuncupaturum fuisse, non magis a me ut credam impetrare possum, quam Statium genis epitheton perpetuum attribuisse puto, quum scriberet versum Theb. IV., 336, ubi blandiens Atalanta filii sui Parthenopaei genas roseas appellat. — Ab Homero genae feminarum Troianarum vocantur *ἀπαλαί* II. XVIII., 123, sed pro perpetuo habendum est; germanicus poeta scripsit liehtiu wange str. 572. — Pedes ubique fere vocantur ab Homero *λιπαροί* Od. XIII., 225; II. II., 44; XIV., 816, saepius; unicum hoc esse videtur epitheton perpetuum, quum *πόδες κραιπνοί* II. VI., 505 pedes celeres, ideoque ceteris antecellentes esse videantur. Statius, ut simile quid e Romanorum carminibus afferam, scripsit ignea crura Th. VI., 591.

Sanguis apud Homerum est aut *αἷμα κελαινόν* Od. XIX., 457; II. I., 303, aut *αἷμα κελαινεφές* II. IV., 140; V., 798; XVI., 667, aut *πορφύρεον αἷμα* II. XVII., 361, quibuscum Vergilii et Lucretii ater sanguis Aen. III., 28, 622 et Lucr. VI., 1148 (sanguine atrae fauces) vix licet comparentur. — Ennius in annalibus scripsit mei calido das sanguine poenas ed. Hess. p. 26. — Longe aliena ratione usus sanguinem appellavit germanicus poeta fließendes blut str. 229 et den heiz fließenden bach str. 2225. — Lacrimae apud Homerum sunt *δάκρυα θερμὰ* Od. XXIV., 46, cuius simillimum epitheton praebet germanicum carmen epicum heize trehen str. 1334; *τέργη δάκρυ* II. III., 142; XVI., 11; apud Lucretium lacrimae salsae I., 920 et rorantes II., 977. — Apud Homerum nihil reperi, quod componam cum Lucretiana locutione animi interpretes lingua VI., 1149; neque a Vergilio imitaturum exemplum

quoddam Homericum oscula dulcia Aen. I., 687 vocata esse, demonstrare possum; at huc apponam epitheta, quibus exornavit germanicus poeta os mulierum; scripsit enim süezen munt str. 546 et rōten munt str. 548. — Comae mulierum in carmine germanico vocantur schoene hār str. 1594.

Ut epitheta somni hic componam, cum Homericο μαλακὸν κῶμα II. XIV., 359 comparari iuvat germanicum senfter slâf, quod legitur str. 1333. Praeterea somno Homerus attribuit haec epitheta: πανδαμείτωρ Od. IX., 373; μαλακός Od. XV., 6, II. X., 2; ἡδύς Od. XV., 44; λυσιμελής Od. XX., 56; XXIII., 342; γλυκύς Od. X., 548; II. II., 71; ἀμβρόσιος II. II., 19; μελίφρων II. II., 34; νήδυμος Od. XII., 311, 366; XIII., 79; II. II., 2, X., 91, XIV., 242; γλυκερός II. X., 4, XXIV., 3; ἀπήμων λιαρός τε II. XIV., 64. Romani ut somnum describerent his locutionibus usi sunt mollis somnus Lucr. III., 112; suavi sopore devinxit somnus Lucr. III., 453; ferreus somnus Aen. X., 745, XII., 309; dulces somnos Theb. I., 306; tennes somnos Theb. I., 389; tacita dulcedine Lucr. III., 596.

### Caput III.

#### Epitheta bestiarum et aliorum animalium componuntur.

Locos, qui ad universum ferarum genus essent referendi, neque in Homericis carminibus reperi neque apud auctorem germanici carminis, quod ad hanc commentationem conscribendam pervolvi. Lucretius et Statius interdum omnium ferarum mentionem fecerunt; legimus enim: montivagae ferae Lucr. I., 404; montivago ferarum generi Lucr. II., 597, 1081 et alio loco genus horrifera ferarum Lucr. V., 218. Statius scripsit rabidarum more ferarum hostile mandat caput Theb. VIII., 71. Leonem Homerum nuncupavit ex specie λέοντα ἠὺγένειον Od. IV., 456, II. XVII., 109, II. XV., 275, XVIII., 318, χαροπὸν Od. XI., 611 ex animo feroci et vigore δλοόφρονα II. XV., 630, κρατερόν Od. XVII., 126 et Passowio auctore αἶθωνα II. X., 24, 178, XVIII., 161 quamquam sunt, qui hoc adiectivum ad colorem referri velint; e victu ὀρεσίτροφον Od. IX., 292, II. XII., 299, XVII., 61, ὀμοφάγον II. V., 782, VII., 256, XV., 592. — Apud Romanos epicos leones sunt fulvi Aen. IV., 158, Theb. I., 397; cuius adiectivi eandem esse videtur notionem, quam attribui solet graeco δαφινός. Inter alios admonet versus Vergilianus Aen. VIII., 552, quem fulva leonis pellis obit totum illius versus, quem legimus II. X., 23 ἀμφὶ δ᾽ ἔπειτα δαφινὸν ἐέσσατο δέρμα λέοντος. Alio loco scripsit Vergilius villosi pellis leonis Aen. VIII., 177. Lucretius attribuit leoni epitheta saevus IV., 1016; validus V., 985, 1310. Germanicus poeta leonem vocat lewen wilden str. 98 et ungefuegen str. 878. — Tigres, quas Homerus ignorat, Vergilius nuncupat immanes Aen. IX., 730 et Hyrcanas Aen. IV., 367, quod epitheton ornans esse nego. Similiter scripsit Statius: tigridis Hyrcanae ieiunum murmur Theb. XII., 170. — Lupi apud Homerum habent epitheta πολίος II. X., 334, ὀμοφάγος II. XVI., 157, κρατερόννηχος Od. X., 218, quod aliis locis est epitheton equorum mulorumque. Graeco πολίος respondere videtur latinum fulvus, quod a Romanis epitheton lupis attributum esse, etsi cum nomine luporum ipso coniunctum non legimus, ex eo concludimus, quod scripsit Vergilius fulvos lupi de pelle galeros Aen. VII., 688; alia epitheta luporum sunt magnus Aen. VII., 18, agrestis (graecum ἀγρότερος) Theb. III., 46; cruentus Theb. V., 165; sed dubitari

potest, num hoc adiectivum habendum sit pro epitheto perpetuo vel ornanti, quum ad lupos referri possit recenti caede cruentos, quales descripsit Homerus II. XVI., 159 *πᾶσιν δὲ παρήϊον αἵματι φοινόν*. — **Thoes** vocantur ab Homero *δαφουνοί* II., XI., 474; *ἄμοφάγοι* II. XI., 479; a Romanis non commemorantur neque a germanico poeta. Contra Vergilius mentionem fecit maculosae lyncis Aen. I., 323; Statius turpium ursorum Theb. VI., 866, quorum apud Homerum nulla reperiuntur vestigia. In germanico carmine semel describitur ursus ein tier gremelich, einen beren wilden str. 887. — **Canibus** Homerus attribuit diversa epitheta plerumque ad velocitatem spectantia, uti *ταχύς* Od. XIV., 133; XXI., 363; II. III., 26; XVII., 558; *ἀργός* II. I., 50; XVIII., 283; *πόδας* apposito Od. XVIII., 62; XX., 145; II. XVIII., 578; *ἀργίπους* II. XXIV., 211. Atque in tanta interpretum disceptatione, utrum *ἀργός* significet celer an albus, quum unicuique liceat suam de singulis locis habere opinionem, equidem censeo Homerum, quum *ἀργός* coniungeret cum nomine canum, celeritatem indicare voluisse. Neque enim credo, poetam, qui ubique describere solet rerum qualitates statim sub oculos cadentes, illo adiectivo admonere coloris pedum, de quo canes aut currentes aut stantes qui conspiciant fere numquam cogitant, nisi forte magno venationis studio tenentur; neque magis intelligo, quibus documentis Passovius nobis persuadeat, versu II. I., 50, quo narrat poeta, Apollinem primo interfecisse mulos et canes, albos canes indicari, quum hunc colorem praecipue fuisse canum Graecorum nullo alio loco concludere iubeamur. Minime vero nego, adiectivi *ἀργός* nativam esse notionem corruscus; quae probetur alio canum epitheto *ἀργιόδους* II. XI., 292, quocum comparatur *καρχαρόδους* II. X., 360; XIII., 198. Aliis epithetis canes appellantur *ἐλακόμωροι* Od. XIV., 29; XVI., 4; *ὀμηστῆαι* II. XXII., 67. Mira est ratio, qua Lucretius canes significavit; scripsit enim levisomna canum fide cum pectore corda V., 864 et foeda canum vis VI., 1222; simili ratione usi Vergilius et Statius scripserunt alter odora canum vis Aen. IV., 132; alter rabida canum vis Theb. I., 625, — sed dira canum rabies, quod legimus Theb. I., 589 vix haberi potest pro periphrasi canum. In germanico poemate, in quo quater vel quinquies canes quidem commemorantur, nullo loco nomina eorum cum epithetis coniuncta sunt. — Feles a Lucretio nuncupantur consueta domi catulorum blanda propago Luc. IV., 997.

Sues ab Homero duobus tantum epithetis profecto perpetuis exornantur; sunt enim *χαμαιευνάδες* Od. XIV., 15, X., 243 et *ληιβότειραι* II. XVIII., 29. In Iliade Selli, sacerdotes Jovis Dodonaei, habent epitheton *χαμαιεῦναι* XVI., 235. Reliqua adiectiva cum voce *σῦς* coniuncta ornantia quidem sunt, non sunt perpetua: *ἀργιόδους* permultis Odysseae et Iliadis locis, sicuti Od. XIV., 416, II. IX., 539; *ἀγρότερος* Od. XI., 611, II. XI., 293; *ἀκάμας* II. XVI., 823; (Solis quoque epitheton est II. XVIII., 239, 484) *ὀλοόφρων* II. XVII., 21, sicuti praeter dracones, (II. II., 723) leones, (v. supra) in Odyssea vocantur Atlas, (I. 52) Aetes, (X., 137) Minos XI., 322. — Epitheta *σίαλος*, *κάπριος*, *κάπρος*, *ἄγριος* sunt praetermittenda. Romani poetae, quorum carmina pervolvimus, inter se consentientes subus attribuerunt saepissime epitheton saetiger; sicut Luc. V., 969; VI., 974; Aen. VII., 17; XI., 198; XII., 170; Theb. I., 397; VIII., 532. Praeterea Lucretius suem nuncupavit spumigerum V., 985 et Vergilius simili modo spumantem Aen. I., 324; IV., 158. — Statius interdum subus adiunxit epitheton fulmineus Theb. VI., 865; XI., 530, quod aliis locis ad hominum nomina adnexit, ut supra ostendimus. — E germanico carmine huc pertinent duo epitheta, quae cum nomine eber coniuncta leguntur, groz str. 881, wilde str. 1938. — Reliquum est, ut cervi quibus epithetis a poetis exornati sint ostendamus. Celeritatem cervorum depingere voluit Homerus adiectivis *ὠκύς* Od. VI., 104; *ταχύς* Od. XIII., 436; II. VIII., 248; XI., 113; ex cornibus duxit epitheton *κεραός* II. III., 24; XI., 475; XV., 271; propter pavorem fugacitatemque acceperunt cervi ab Homero epitheton *φύλακιναι* II. XIII., 102, ad cuius notionem proxime accedit Statio trepidus, quod cum cervi nomine coniunctum est Theb. IV., 271. Praeterea vocantur cervi *ἀγρότεροι* II. XXI., 486. — Lucretius velocitatem cervorum descripsit adiectivo alipes VI., 765; Vergilius semel cervam nuncupavit aeripedem

Aen. VI., 803; quod adiectivum Servio auctore ad celeritatem est referendum, quum per episynaloiphen pro aëripedem scriptum sit; ceterum cerva illa est, quam Hercules cursu superasse dicitur; quamobrem dubitari potest, utrum aëripes inter epitheta universi cervorum generis haberi liceat, necne. Alio loco Vergilius de cervis locutus hac usus est locutione capita alta ferentes cornibus arboreis Aen. I., 190 a simplici Homeri oratione longissime recedente. — A poeta germanico cervi non commemorantur; commemoratur ein grimmer schelch str. 880.

**Capreae**, quarum et ferarum et domesticarum saepissime fit mentio apud Homerum, diversissimis epithetis exornatae sunt. Ferarum caprearum, ut ita dicam, domicilium indicant epitheta *ὄρεσκαῖος* Od. IX., 155 (Centauri vocantur *Φῆρες ὄρεσκαῖοι* Il. I., 268) et *ἀγρότερος* Od. XVII., 295, quod quum cervis, subus, capreis attribui viderimus, perpetuum vocari potest omnium ferarum herbis segetibusque vescentium. Alia epitheta ex specie caprearum ducta sunt: *ιονθάς* Od. XIV., 50, de cuius significatione non satis constat, quum alii vertant villosus, quod veritati proximum videtur, alii ut Vossius, maculis distinctus. Num I. I. de certa caprearum specie cogitandum sit, de rupicapra s. de ibice, quoniam apposuit Homerus apposuit adiectivum *ἄγριος*, non diiudico. Alterum epitheton est *ἕξαλος* Il. IV., 105 cuius significationem non minus esse ambiguum docet Passowius. — *Πίων* et *ζαυρομήης*, quae interdum voci *αἰξ* apposita leguntur, ut temporalia sunt praetermittenda. Apud Lucretium capreae sunt barbigerae capellae VI., 970; barbigerae pecudes V., 900; cornigerae matres II., 368; apud Vergilium caprigenum pecus Aen. III., 221.

**Pecudes** graece nominantur *μήλα*, quam vocem Homerus cum diversae notionis adiectivis coniunxit Homerus, *μήλα ἀδινά* Od. I. 92, IV., 320, cui optime respondet Statianum densae pecudes Theb. V., 349: *καλλίτριχα μήλα* Od. IX., 336, 469; *πανάνποδα μ.* Od. IX., 464; *ἕφια* Od. XVIII., 278, II. VIII., 505, IX., 466, saepius. Sequuntur epitheta substantivi *δῖς*, quae reperimus apud Homerum. Lanae candorem indicant adiectiva *ἀργεννός* Od. XVIII., 472, II. III., 198, saepius, et *ἄργυρος* Il. XXIV., 621. Lanae crispae et mollis admonemur adiectivo *λάσιος* Il. XXIV., 125; *εἰροπόιοι δῖες* vocantur Il. V., 137, saepius. — A Romanis pecudes et pecora substantiva acceperunt epitheta: ferae Luc. I., 15, inertia Aen. IX., 730, IV., 158; agrestia Aen. VII., 679. — Oves, quas Lucretius nuncupat balantes II., 369 et pigras balantes praeterea ubique nominantur lanigerae, quod adiectivum diversis substantivis ovium nomini homonymis quae vocantur, adnectitur: pecudes lanigerae Lucr. II., 318, V., 866, Aen. VI., 642; oves lanig. Aen. III., 660; bidentes lanig. Aen. VII., 93. Bidens vox quin sit proprie epitheton perpetuum vel ornans, quod penitus substantivi naturam acceperit, vix dubitari potest. Lucretius semel lanigera vocem substantivi loco usurpasse videtur I., 887. Praeterea idem poeta haedos nuncupat teneros tremulis cum vocibus II., 367, agnos petulcos II., 368.

Epithetorum, quibus Homerus **boum** nomen exornavit, notissima sunt *ἐλιξ* et *εἰλίπους*, alterum de cornibus tortis et curvatis admonens, alterum ad modum incedendi referendum. Plerisque locis alterum horum adiectivorum cum altero coniunctum est, sicuti Od. I., 92, II. IX., 466, saepissime; neque vero desunt loci, ubi aut *ἐλιξ* solum legitur Il. XII., 293, XV., 633, aut *εἰλίπους* Il. VI., 424, XV., 547, aliquoties. Si *ἐλιξ* recte ad cornua torta refertur, contrariam cornuum speciem indicat adiectivum *ὄρθόκραιρος*, cuius nisi genetivo pluralis nullo casu usus est Homerus, locutus non solum de bubus, sicuti Od. XII., 348, II. VIII., 231, XVIII., 573; sed etiam de navibus, quibus Homerus aliquoties idem attribuisse epitheton alio loco demonstrabimus. Latum frontem boum Homerus descripsit epitheto *εἰρμείωποι* Od. XII., 262, XX., 212, II. XX., 495 et de mugitu eos appellat *ἐρμύκους* Od. XV., 235, II. XX., 497, XXIII., 775; quocum comparandum est *ἐρῦμηλος* quod est epitheton tauri Il. XVIII., 580. Saepissime apposuit Homerus voci *βοῦς* epitheton *ἄγρυνλος* Od. XII., 253, XXII., 403, II. X., 155, saepius, ad quod latinum adiectivum agrestis proxime videtur accedere. — *Οἶνοψ*, *αἶθων*, *ἀγέλαιος*, *ἀργός* (Il. XXIII., 30) sunt



epitheta temporalia. — Lucretius de universo boum genere locutus usus est his locutionibus: buceriae greges II., 662, vel bucera saecula VI., 1245. Vergilius scripsit: laeta boum armenta Aen. III., 220 et nigrantes terga iuencos Aen. V., 97, VI., 243. Diserte autem admoneamus de loco Aen. VIII., 182, 183. Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus, Perpetui tergo bovis et lustralibus extis, minus ut clarescat, quomodo intelligi voluerit Vergilius perpetui tergam bovis, quum satis clarum sit, hac locutione reddi Homericum *διηνεκέεσσι νότοισι* II. VII., 321, quam ut opportunitate utamur, qua nobis afferre licet interpretationem Servii satis miram. Ad l. l. enim quam diligentissime interpretatus intelligendam esse carnem dorsi, quae solita esset apponi honorabilioribus, addidit: aut re vera perpetui: nam de bove immolato Herculi carnes carius vendebantur, caussa religionis: et inde vitulus alter redimebatur, qui ex illius pretio comparatus quasi perpetuus esse videbatur. — Apud Statium praeter adiectivum ingentes Theb. IX., 119 epitheta ornantia taurorum legere non memini; at nominat imbelles iuencos Theb. 115, vitulos Theb. VIII., 595; eodemque loco iuvencae molles commemorantur.

Quo magis perspicue componamus magnum epithetorum gregem ab Homero cum equorum nomine coniunctorum, primo loco ea afferamus, quibus describitur velocitas; cuius generis haec reperimus: *ὠκός* II. III., 263, IV., 500, permultis aliis locis; *ὠκύνους*, perpetuum Od. XVIII., 263, II. II., 383, V., 732, XXIII., 376, 504, saepius; *ποδώκης*, epitheton Achillis quoque, II. II., 765, XVII., 614, XXIII., 376 (semel vocantur *ἵππεῖς ποδώκεις* II. XXIII., 262) *ὠκνένης* II. VIII., 42, XIII., 24, *πόδας αἴολος* II. XIX., 404; (hoc epitheton est attributum Xantho, Achillis equo) quibus epithetis sunt adiungenda illa, quae minus quidem ad celeritatem quam ad motum et pedum et totius corporis spectant, sicuti *ἀερεσίπους* II. III., 327, XVIII., 532, XXIII., 475, *ἔύσκαρθμοι* sicut equi Neptuni vocantur II. XIII., 31. — De forma et duritie unguularum equi acceperunt ab Homero epitheta *μῶνυχες* Od. XV., 46, II. V., 236, 829, VIII., 139, saepissime, *κρατερώνυχες* Od. XXI., 30, II. V., 329, XVI., 724, 732. (Aliis locis hoc est epitheton mulorum Od. VI., 253, II. XXIV., 277, quibus praeterea attributa sunt epitheta *ταλαεργοί* Od. IV., 636, XXI., 23, II. XXIII., 654, *ἐντισειργοί* II. XXIV., 277) *χαλκόποδες* II. XVIII., 42, XIII., 24, quod minime referendum est ad ferreas laminas, quae nunc equorum unguulis clavis affigi solent, sed ad cornu durum, quo pedes equorum sunt muniti. De strepitu, quem equi currentes efficiunt pedibus equis attribuit Homerus epitheton, quod aliis locis cum Jovis nomine coniungere solet, *ἐρίγδονπος* II. XI., 152. — Ad setarum equinarum nitorem spectant epitheta *καλλίτριχες* Od. III., 475, II. VIII., 348, X., 491, saepe; *ἔύτριχες* II. XXIII., 13, 301; — *ὄτριχες*, quo epitheto Eumeli equi describuntur II. II., 765 non est epitheton universi equorum generis. Semel Homerus equo attribuit epitheton, quod Neptuni est perpetuum *κνανοχαίνης* II. XX., 224. — Ex alia formae specie equi vocantur *ἐριάνχενες* II. X., 305, XI., 159, XVII., 496, XVIII., 280, XVIII., 171; de hinnitu *ὑψηχέες* nuncupantur equi Junonis II. V., 752, Graecorum II. XXIII., 27, nisi quis malit hoc epitheton esse referendum ad strepitum, quem efficiant equi currentes. Num adiectiva *χρυσάμπνξ* II. V., 358, 720, VIII., 382; *κενιρηνεκής* II. V., 752, VIII., 396 in epithetorum equorum nomen exornantium grege numerem propterea dubito, quod et utrumque est attributum equis divinis et *χρυσάμπνξ* sine dubio certum indicat ornamentum, — *ἵπποι ἀθλοφόροι*, quos commemorat Homerus II. X., 124, XXII., 22, 162 sunt equi, qui vicerint in certaminibus; *ἐρυσάρματες* quod est epitheton equorum II. XV., 354, XVI., 370 ornans esse censeo. — Quum in Lucretii carmine unum tantum epitheton equorum legatur, quod nullam praebet similitudinem cum Homericis, (equorum duellica proles: II., 661) praecipue nobis est observandum, quam ratione in epithetis equorum nomini adiunctis cum Homero congruant Vergilius et Statius et poeta germanicus, aut discrepent. Cum Homericis epithetis comparari possunt ea, quae Statius et Vergilius finxerunt ex velocitate, quam descripserunt adiectivis volucer Theb. IV., 42, VI., 595 et alipes Aen.

XII., 484, Theb. VI., 558, quod saepius equorum nomine omisso substantivi locum tenet, ut Aen. VII., 277, Theb. III., 428, IV., 351, VI., 298, IX., 206 et a Statio ipsum altero epitheto velocitatem indicante exornatur, Theb. XI., 198 (alipedem citum). Homericum *χαλκόπους* Vergilio videtur ansam dedisse, ut equos nominaret cornipedes, quod saepissime adiectivi loco reperimus, sicuti Aen. VI., 591, VII., 779, Theb. VI., 438, VII., 137, XI., 440, 518 neque raro pro substantivo usurpatum a Statio, ut Theb. IV., 271, VII., 760, VIII., 147, 391; saepius. Propter similem quo est compositum modum huc afferre placet adiectivum sonipes, quod tamen non legitur nisi substantivi dignitate praeditum et apud Vergilium, ut Aen. IV., 135, XI., 600 et apud Statium, ut Theb. IV., 136, V., 3, IX., 212, saepe. Statio huic voci duo adiunxit adiectiva, quorum alterum Arionis est epitheton ornans, aequoreus Theb. VI., 447, quo admonemur illius fabulae notissimae, equum primum ex rupe maritima a Neptuno tridente percussa prosiluisse; alterum temporale quod vocant videtur esse: malefidus in armis Theb. VII., 632. — Ignipes est Solis equorum epitheton Theb. I., 27, qui alio loco nuncupantur flagrantes equi Theb. III., 408 et anhelantes Theb. VII., 473. — Reliquum est, ut afferamus nonnulla adiectiva, quibus acer animus equorum et ad bellum paratus describitur, cuiusmodi apud Vergilium reperimus ardens Aen. I., 472 (cf. ardens Julius) et magnanimus Aen. III., 704, quibus fortasse adiungi licet spumans Aen. VI., 882. Statio minime dubitat equos nominare belligeros Theb. VII., 461. Neve loci Vergilianus (Aen. VII., 625 altis arduus equis) obliviscamur, quoniam germanicarum locutionum admonet, *hoch zu Ross*, *auf hohen Rossen*, in quibus adiectivum *hoch* sine dubio est epitheton ornans equorum. — Inter permultos germanici carminis locos, quibus poeta equos commemorat, vix tres praebent epitheta, quae omnibus consentientibus ornantia dici possint. Quum enim poeta scripserit schoeniu ros str. 635, pherit wol getân str. 1245, starken soumaere str. 707, universos quidem equos non indicari manifestum est; attamen illa epitheta ad omnes equos esse referenda, quibus viri fortes usi sint, nemo est, qui neget; ideoque aliquem ad modum sunt ornantia.

Avium perpetuum epitheton apud Homerum videtur esse *πειτηνός* II. XV., 690, quamquam ipsum substantivi locum tenere potest, uti cognoscitur ex II. XVII., 675; praeterea aves ab Homero vocantur aut *ὄρνιθες καννσίπτεροι* Od. V., 65, aut *οἰωνοὶ ὀμησθαί* II. XI., 454; sed hoc loco certe aves rapaces dicuntur, quum adiectivum *ὀμησθαί* praeterea cum canum nomine coniunctum esse supra demonstravimus. Magis varia est ratio, qua Romani poetae usi sunt de universo avium genere locuturi. Lucretius vocat aves varias volucres II., 145, 344, aërias volucres I., 12, V., 825, volucres nemora avia pervolitantibus II., 145. — Vergilius, ut imitaretur Lucretianum variae volucres, scripsit pictae volucres Aen. IV., 525; alio loco commemorat diras volucres Aen. VIII., 235; ut omne avium genus significaret, usus est locutione vitae volantium Aen. VI., 728. Neque praetermittendae sunt Vergilianae avium periphrases, quas cognovimus ex his locis: praepetis omina pennae Aen. III., 361, turbam agminis aligeri Aen. XII., 248. — E Statio Thebaide unum tantum locum afferre possum, ubi de universo avium genere poeta videtur cogitasse Theb. VI., 299; aliis locis, quorum alter est non aliter subtexunt astra catervae incestarum avium Theb. IX., 28, alter ipsum unca volucrum ora sequi Theb. XII., 97, sententiarum contextus docet, poetae fuisse in animo carnivoras quas dicimus aves. — Germanicus poeta semel de universo avium genere locutus esse videtur, quum scripserit: sam vliegende vogele str. 1283. Alas avium Vergilius nuncupat ventosas Aen. XII., 848; Statio pernices Theb. III., 471. Plumae Famae sunt trepidae Theb. III., 428.

Aquila ab Homero exornatur epithetis inter se magnopere diversis; saepissime aquilae nomini attributum est epitheton *ὄρμιπετής* Od. XXIV., 538, II. XII., 201, 219, XIII., 822, XXII., 308; *μέλας* II. XXI., 252; *αἴθων* II. XV., 690; *ἀγυλοχέλης* Od. XIX., 538. Lucretium hanc avem commemorare

non memini, atque Vergilius, qui aquilae nomini ipsi bis vel ter usurpato nullum apposuit epitheton, aliquoties periphrasin adhibuit Jovis alitem Aen. I., 394; XII., 247 sive Jovis armigerum pedibus uncis Aen. V., 255; IX., 564. Stautus nuncupat aquilam flammigerum alitem Theb. VIII., 676. Germanicus poeta aquilae nusquam commemorat; falconem nuncupat valken wilden str. 13.

**Olores**, quos Homerus cum anseribus et gruibus coniunctos appellat *δολιχοδείρους* II. II., 460; XV., 692, a Romanis, Vergilio et Statio, varia acceperunt epitheta, sicuti nivei Aen. VII., 699, Theb. VIII., 675, albi Theb. IX., 859. (Lucretius de nigris cynis loquitur II., 823.) Praeterea Vergilius cynos appellat laetantis agmine Aen. I., 393 et volucres raucas Aen. VII., 705, quem ad locum Servius adnotavit: raucum τῶν μέσων est, ut grave olens. Sciendum tamen, Vergilium secundum morem provinciae suae locutum, in qua cyni bene canentes rauciores vocantur.

**Vultures**, qui ab Homero *ἀγυπτιοὶ γαμψώνυχες* Od. XVI., 217 vocantur aut *αἰγ. γαμψών.*, *ἀγυλοχέλαι* Od. XXII., 302; II. XVI., 428, semel commemoravit Vergilius Aen. VI., 597, ubi scripsit rostro immanis vultur adunco. Vix diiudicari licet, num Homericum *ἀγυλοχέλης* voluerit imitari, an descripserit veram vulturis speciem, immemor vocis graecae. Epitheto, quo Lucretius nomen cornicis exornavit raucae (VI., 751), quod plane respondeat nullum praebent carmina Homeri; nam *τανύγλωσσος* ab Homero nuncupatur cornix maritima (*κορώνη εἰναλία*) Od. V., 66. Latino raucus simillima notio est epitheto *λακέρυζα*, quod attribuit cornici Hesiodus Op. 747. — *Ἰρηξ ὀκνύπτερος* (II. XIII., 62) apud Homerum est accipiter, quem Vergilius semel ni fallor commemorat accipitrem sacrum alitem Aen. XI., 721.

**Columbae** apud Homerum ubique habent epitheton *τοῦρῶνες* Od. XII., 63, II. V., 778, saepe. Vergilius eas aves appellat praecipites Aen. II., 516, volucres Aen. V., 488. — Mergi a Vergilio vocantur aprici Aen. V., 128, corvi a Lucretio saecula vetusta corvorum V., 1084.

#### Caput IV.

##### Epitheta armorum, supellectilis, similium componuntur.

Omnia arma, quibus milites induantur, Homerus vocat *ἔντεα ποικίλα* II. X., 75, *ἐντ. δαιδάλεα* II. VI., 418, *ἐντ. μαρμαίροντα* II. XII., 195; XVIII., 131; *κλυτὰ τεύχεα* II. XVI., 64; *κλ. τεύχ. ποικίλα χαλκῷ* II. VI., 504, *κλ. τεύχ. παμφανόωντα* II. XVIII., 144; *ὄπλα δεινὰ* II. X., 254, quocum comparavi licet Stautianum arma tristia Theb. III., 224. — Epithetorum nomini arcus adiectorum tria sunt genera, quorum primo continentur ea, quae spectant ad curvam ne tenti quidem arcus formam, altero, quae sunt referenda ad facultatem redeundi in priorem statum, nervo retracto mutatum, tertio, quae spectant ad laevitatem. Curvam formam arcus indicant haec epitheta: *ἄγκυλος* Od. XXI., 263; II. VI., 322, *καμπύλος* Od. XXI., 359; II. III., 17; X., 333. — *Παλίντονος*, quod legitur Od. XXI., 11, 59; II. VIII., 266; X., 459; saepius, haud dubie significat illam facultatem, qua sola arcus ad sagittas mittendas aptus est, facultatem statum quavis vi permutatum denuo accipiendi. — Quum omnes arcus laeves et politi esse solerent, ab Homero adhibitum est epitheton *ἐξῆσος* Od. XXI., 92, 281; II. IV., 105; quod praeterea est epitheton hastae. — *κρατερός* II. VIII., 279, *ἀμύμων* II. XV., 462 vix haberi possunt epitheta ornantia

arcus. — Arcus, quorum Lucretius nullam fecit mentionem, saepius commemorant Vergilius et Statius. Maxime cum Homericis epithetis congruunt Statiana curvatus Theb., 325, teres Theb. IV., 327. Omnino ab Homeri consuetudine discrepant adiectiva ab eodem poeta usurpata sonorus Theb. I., 658, trux Theb. IV., 268; quod inter epitheta virorum quoque invenitur. Similiter Vergilius arcum nuncupat acrem Aen. VII., 164. Praeterea commemorat Vergilius arcumabilem Aen. I., 318, fatiferum Aen. IX., 631.

